cum affectu, donec post aliquot dierum torturam manifestius levamen ab enemate, ex rad. alth. hyosc. & ⊖ gemmæ concinnato, sentiret, erumpentibus tunc maculis scorbuticis, quo deinceps quotidiè intestina abstergendo, id effeci, ut post 3. dies effluxos solidissimi stercoris globuli, lapidei quasi, prodirent, hinc statim d. 26. Jul. appetitus, somnusque rediit, alvus officium suum fecit, maduereq; postea iterum pedes. De ⊖ gemmæ proprietate quadam scybala indurata educendi vid. *Forestus l. 21. Obs. 5. f. 316.* ubi historiam leges cujusdam colici, qui irritis quinque clysteribus, cum septâ vice è ⊖ gemmæ clysma injiceretur, ejectis tunc scybalis è vestigio sanitati fuit restitutus.

Observatio XII.

Abscessus saccatus ex uteri vagina exclusus.

A. 1698. d. 21. Sept. domi medicamenta â me flagitabantur pro parturiente primiparâ, gibbosa, staturæ parvæ, quæ salsis copiosissimè & quotidiè gavisa dicebatur. Hæc ob fœtus capitis ossi pubis insidentis obliquum situm in quartum diem dolores nixios patiens, quanquam post situm emendatum pulvere ad partum Magni *Wedelii* juvaretur, tamen ex impatientiâ sua agere negligens

gligens fœtum enitentem potius perire, quam laboribus nixiis ſe accingere ſatagebat; hinc quia altero mane motu fœtus ceſſante ſcybala per uterum prodibant, ejus excludendi causâ pulveres tres ex diptam. alb. cinnam. teſtic. equor. borrac. caſtor. myrrh. & ſucc. ordinabantur, poſt quorum continuatam doſin fœtus valdè quoad caput compreſſus & ſugillatus unà cum ſecundinis feliciter ejiciebatur. Ab eo die ad 30. Sept. nil de ipſius ſtatu percipiebam, hoc ipſo verò maritus meam præſentiam exorabat; proinde ægram inviſens audio, â die partus huc usque cum dolore inguinis dextri (ubi diu tumor hæſerat) continuò per alvum copioſiſſimum pus ſummè fœtens excerni, & quidem non ſine inſigni virium dejectione, ſiti, pulſu languido & frequenti, herique animadverſo horrore. His perceptis ordinatam (1) ℞ bezoard. Wedel. eſſent. theriac. balſ. travmat. c. anod. (2) balſ. peruv. ♃ aniſ. ā ℈ß. gt. vij. pro doſi (3) ſpec. pro infuſo theiformi ex rad. ſcrophular. ſimphyti, herb. ſcabioſ. heder. terr. bellid. fl. hyper. myrrh. (4) pulv. ſtypt. Wed. c. anod. Igitur poſt horum uſum die 1. Octobr. dolor & alvi fluxus deſinebat, ægrâ admodum bene ſibi eſſe dicente. Tum oris causâ imponebam cataplaſma cum lacte coctum, ex rad. alth. fl. chamom. R. melilot. & ſem lini. His ordinatis & per

aliquot dies non requisitus â visitatione abstinui; die autem 6. Octobr. accersor iterum, præsenti narratur ab imposito catapl. tumorem statim disparuisse, successisse verò ⊡ purulentam fœtidissimam cum magno inter excernendum dolore, & quidni dolorem sentiret, postquam lotricis manus, inter abluendum lintea, acrimoniam ⊡ non subterfugere poterant, enatis scilicet in manibus inde vesicis; rebus sic stantibus jubebam decocto rad. glycirrh. & alth. addi, & in jusculis succum ex cancris vivis expressum admisceri. Die 7. tertiâ vice unum alterumque frustum puris, præter continuo cum ⊡ summopere fœtente profluens tenue & fluidum pus, prodibat; pergebatur igitur in dictorum usu, nisi quod succo cancror. vivor. quem aversabatur, terebinthinam in ovi vitello solutam substituerem d. 8. Hinc copiosius longè, non tamen ita fœtens pus excernebatur, unde mephitim ejusmodi in vaginâ uteri latitare conjecturans, clysterem ex rad. symph. herb. sanicul. veron. agrimon. scord. fl. hyperic. hord. c. terebinth. mell. rosar. & myrrh. injici in pudenda curabam, prodeunte paulo post frusto oblongo puris, præter copiosissimum pus fluidius fœtentissimum; pro singulis noctibus verò pilulas ex extracto agrimon. scabios. heder. terrest. sarsæpar. troch. alkek. c. opio, magist. oss. sepiæ, ocul. ♋ & ♏ hyperic.

præ-

præſcribebam; die 9. cum ægram accedere vellem, fœmina miniſtrans mihi conſultura ut intolerandum fœtorem, qui â fluxu puris oriretur, vitarem, ingreſſum deprecabatur, ſimul narrans eo inguinis loco, ubi tumor â longo temporis ſpatio extiterit, jam cavitatem aliquam obſervari, unde inveteratum apoſtema judicans pro meliori abſterſione & fœtidi puris correctione præſcribebam clyſterem ex rad. ſcrophular. herb. ſcord. fl. hyper. centaur. min. in ▽ hord. decoqu. addito melle roſar. myrrh. ungu. apoſtol. & balſ. ♃ aniſ. in 2. partes dividendum, quod ipſum ultimò inſignem iterum quantitatem puris fœdiſſimi & fœtentiſſimi proliciebat, ſubſequo poſt excretionem ſemper aliquo ægræ levamine: comitabatur autem, quod maximum ſtuporem adſtantibus faciebat, hoc profluvium puris veſicæ cujusdam membranoſæ (fœmina vocabat etwas wie eine Kälberne Blaſe) excretio, quam abjectam fuiſſe priusquam meis oculis luſtraſſem ægrè tuli. Die 10. pus adhuc cum ⊡ prodibat, pulſus erat cum acriori calore celerior. D. 11. prior clyſter iterum injectus, â quo primò aliquid ſanguinis, & deinde ingens vis puris effluebat, (clinica dicebat ein gantzer Nachtſchorb voll) quæ huic clinicæ fæminæ ad lucernæ fidem examinata cumulus vermiculorum videbatur; ſtatim â clyſmate hoc dorſum & in-

guina dolebant, indicio post detersum pus parietes esse mundificatos, quia tamen nihilominus cum ⊡ adhuc fœtens viridescens pus excernebatur, d. 12. clysma immisi ex rad. symphyti, scrophular. herb. scord. fl. hyper. rosar. coqu. in mucilag. sem. cydon. tenui, add. myrr. aloë, ▽ ⊕ dulc. & bals. ♃ anis. clyster hic egregiè partes affectas solabatur, pus etiam jam in quantitate parcius, & in qualitate amplius non ita fœtens, meliorisque coloris effluebat. D. 13. peregrè abiens, admonitione iteratâ de vitandis †dis, ⊖sis & acribus, usum hujus clysteris alternis diebus commendabam, suadens simul, ut in usu decocti balsami, & mixturæ, exceptâ ℞ bezoard. Wed. & Essent. anod. continuaret. Pro roborandâ vesicâ & fluxu ⊡ involuntario (quem post partum statim incurrerat) tollendo, ▽ Japon. c. lap. ♋. exterius verò ♁ petr. alb. c. ♁ nucist. exp. commendavi, præter diætam lacteam, siquidem hactenus semper æstu febrili carenti lactis avidissimæ illud loco cerevisiæ bibere permiseram. D. 17. rediens post hæc administrata nullum ferè amplius pus prodire & id absque omni fœtore comperi, insuper ⊡ diutius retineri, appetitumque vigere, adhuc tamen usum essent. travmat. & pulverem ex ▽ Japon. cum lap. ♋. ut continuaret suadens. Interim cum ⊡ fluxus involuntarius nondum penitus

ces-

cessaret, laudavi pudendum suillum assatum, quod præsentissimum affectum præstabat, nam postea urinam perfectè retinebat, â puris effluxu simul prorsus libera, vixitque ita sana, donec post aliquot demum annos partu difficili una cum fœtu obiret, teste demum me accersito mortis in ultimo articulo mortis.

Observatio XIII.

Lipothymia & spasmi hypochondriaci periodici.

VOmitoriorum & chinatorum abusus sicut meritò censurâ notatur, ita debitus usus â quibusdam medicis vilipenditur. Sanè & hic valeat πολυθρύλητον illud: tollatur abusus, maneat usus. Quidni enim utamur emeticis, quæ non rarò statim & unicè morbos non leves, sed sæpe Herculeos ceu vecte quodam excludunt, & quare chinatis in totum abstineamus, quæ præmissis præmittendis & εὐκαίρως præbita aliquando morbos periodicos ex toto sufflaminant. En insignissimum effectum utriusque hujus potentis remedii in duplici casu binorum nobilium fratrum. Generosi cujusdam Equitis filius 8. annorum habitus & temperamenti sanguineophlegmatici, domicilium inhabitans aquis circumfluum, postquam sub saginâ pleni & delicati victus nihilominus studiis nimium